PARVVS CATE-

CHISMVS QVO EXAMINARI

possunt iuniores qui ad Sacram Cœnam admittuntur. Carmine Iambico, per R. P.

ANDREAPOLI
EXCVDEBAT ROBERTVS LEKPREVIK
ANNO DO. M. D. LXXIII.

Mrs. Todd.

DE FIDE CAP. I.

M. ES Christianus ô puer? profare. P. Sum.
M. Quid ista confert religio boni? P. Beat.
M. Qui sic? P. Beata res Deum cognoscere est:
Hæc vna nosque belluis discrimat:
At absque Christo nemo notum habet Deum.
M. Quæ recta summi numinis scientia est?
P. Honore constat. M. Quas honor partes habet?
P. Fidem, timorem, vota, grates publicas.
M. Fides quid ergo est? Efficax persuasio
Dei fauoris, nixa verbo, quo pater
Nostræ salutis spondet esse in filio.
M. Quæ summa fidei sit recenseas tuæ.
P. Cuncta in potentem credo genitorem Deum,
Cœlumque terræ qui solumque condidit.
Christumque Iesum filium eius vnicum.
Dominumque nostrum. Qui sacro de spiritu
Conceptus è Mariaque natus Virgine est:
Sub Pontio passus Pilato præside.
Crucique fixus, mortuusque, humo & datus,
Discendit vmbras inferorum ad horridas.
Sub tertium surrexit at viuus diem,
Ascendit in Cœlum, potentis omnia
Dei parentis, aque dextris assidet:

Atque inde iudex omnibus venturus est
Viuis, tot antè mortuisque sæculis.
Confido sanctum in spiritum. Sanctam quoque
Credo per orbem Catholicamque Ecclesiam:
Communionem, nempe Sanctorum omnium.
Remissionem criminum contagij.
Surrectionem spero carnis & nouam:
Vitæ beatæ & sempiterna gaudia.
Hæc Christianam summa continet fidem,
Sola salutem censeo qua mè assequi.
M. Summum parentem filium cum spiritu,
Vnúmne, plures esse vel putas deos?
P. Est vna personis tribus diuinitas.
M. Confessio quid ista vult paucis refer.
P. Patrem supremum filij Christi Deum,
Simul per illum nostrum & omnium patrem,
Originem primam esse rerum credimus
Causámque: cuncta semper hunc disponere
Sic & creata, possit vt nutu geri
Illius absque & prouidentia nihil.
Christumque Iesum credimus natum dei
Dominum piorum, carne terrestre in solum
Venisse tectum, gentis humanæ scelus
Et expiasse, singulis negotio
Plenè peractis, quæ salutis opus erant.
Cœlúmque conscendisse tandem denuo:
Summi sedere patris adque dexteram.

Omn

Omnem tenere qnod poteſtatem ſonat
Cœleſtis atque terreæ monarchiæ,
Redibit inde glorioſus hominibus
In fine mundi quódque iudex omnibus.
Sanctum quodque eſſe ſpiritum verum Deum.
Diuina virtus quum ſit & potentia,
Obſignet animis inque cordibus dei
Promiſſa nobis facta Chriſto in filio.
Demumque Sanctam reddidiſſe Eccleſiam,
Et noxiarum liberatam ſordibus,
Dei benigna gratiæ clementia
Poſt & caducæ terminum vitæ pios
Vitæ ad perennis excitandos gaudia.
M. Ex temetipſo credis iſtá ne omnia?
P. Non. Ipſa donum nam fides eſt ſpiritus.
M. Quid parta prodeſt? P. Iuſtificat apud Deum.
M. Quid? Sancta nonne vita nos iuſtos facit?
P. Nemo meretur iuſtus actis effici.
Viri infidelis facta ſunt enim omnia
Peccata, fructus vt mali, malæ arboris.
Nec iuſta prorſus vita ſanctis eſt dei.
Sed mixta inhæret carnis imperfectio.
M. Quo iure iuſtos reddit ergo nos fides?
P. Quia apprehendit firmiter clementiæ
Promiſſa nobis facta per Chriſtum, dei.
M. Expers bonorum num fides operum valet?
P. Imo eſſe neſcit. Ignis haud enim caret

alore. Christus nostra nec redemptio est
Tantum: regignit spiritu sed & sacro
Suos, vt actis innouent vitam bonis.

¶DE LEGE. CAP. II.

M. QVI rite summo seruiendum numini est?
Humana nunquid suadet vti inuentio
Mandata tantum cœlica aut vt ordinant?
P. Diuina lex est insequenda regula.
Fucata non intentio mortalium.
M. Quæ norma vitæ cœlitus nobis data est?
P. Hæc ipsa voce quæ tonantis est dei
Prolata denis hisce sub sententijs:
1. Aduerte gens hebræa, sum Deus tuus
Ego Ioua te qui seruitute Ægyptia
Durique solui regis è tyrannide.
Extraneos ne habeto me coram Deos.
2. Idola saxis sculpta ne tibi: neque
Delineatam numinis ad imaginem
Quamcunque formam, quam supernè continent
Augusta Cœli templa, tellus aut patens
Infrà, sub imo lympha vel terræ sinu.
Non hæc adorà procidens, honoréue
Dignator vllo. Nam Deus fortissimus
Ego æmulator sum tuus Ioua, qui patrum
Delicta in ipsos mulcto vindex filios.

In tertium quartúmque in illorum genus
Exoſa queis eſt noſtra vis: clementiam
Monſtrans in horum ſtirpis & milleſimos
Qui nos amántque, inſsibúſque obtemperant.
3. Iouæ tremendum ne dei nomen tui
In rebus vſurpato vanus irritis.
Inſontis illum non enim feret loco
Fruſtrà ſuum qui nomen vſurpat, Deus.
4. Memento ſanctum Sabbati ſerues diem,
Luces labori ſex habeto, ſed deo
Septena ſacra Sabbati dies tuo
Iouæ eſt. In illo non operis exerceas
Quicquam, nec ipſe, filius, nec filia,
Nec ſeruus, ancilla, aut pecus: qui intra tuas
Portas moratur hoſpes aut extrarius.
Nam ſex diebus machinam Cœli Deus
Terræ globúmque finxit, & mare, omnia
Quecunque & hiſce continentur, ſeptima
Quieuit atque luce: Sabbatum ſuo
Fauſtum ominatus proin ſacrauit cultui.
5. Honore patrem debito & matrem cole,
Longæuus in tellure ducas vt dies
Illa daturus quam Ioua Deus eſt tuus.
6. 7. Occiſor haud ſis. Haud adulter ſordidus.
8. 9. Non fur. Propinquo falſus haud teſtis nocens.
10. Ædis propinqui ne cupido cor tuum
Titillet. Eins ardeas ne coniugis

Amore: ſeruum nec vel ancillam, aut bouem
Aſinúmue, quicquam reſue alîus appetas.
M. Cuiuſque ſenſum redde mandati, breui.
P. 1. Lex prima, ius autoritate muniens,
Integrum honorem præcipit deo ſuum
Deferre ſoli. Cuncta videt nam Deus.
2. Secunda cultus reijcit præpoſteros,
Idola quauis arte facta non ferens,
Cauſa exprimendi vel colendi numinis.
Minas & addit: vindicem ſui Deum
Seuerum honoris. At pijs mitiſsimum.
3. Non ſola damnat tertium periuria
Scitum: ſed omnem nominis leuem dei
Abuſionem. Vúltque præclara omnia
De ipſo loquamur: pœna vel certa imminet.
4. Lex quarta partim priſca Ceremonia eſt:
Figura nobis ſpiritalis a malo
Vacationis. Ordinis partim datur
Ergô: piorum grex in vnum quo fluens
Auſcultet alti legebus Iouæ, preces
Fundat, ſacris communicet myſterijs
Statóſque ſeruans rite ſacrorum dies.
Partim leuamen denique vt ſeruis ſoret,
Longæ laborum quos premunt moleſtiæ.
5. Parentum honorem quinta cernens ſanctio,
Amare mandat hos, & illis obſequi:
Piè & iuuare ſi petat neceſsitas.

Longæqu

Longæque vitæ præmio nos prouocat.
Et rite quisquis præest parentem intelligit.
6. Sexta nefanda cæde non tantùm manus
Vult abstinere, quin & omnem iniuriam
Damnat, laténíque cordis odium legifer.
Pressos iuuare & mandat: & malum pati.
7. Adulteros nec septima tantùm arguit:
Omnem sed & scortationem, verbáque
Non pura, prauas mentis & libidines.
Castumque contra corpus & cor exigit.
8. Octaua furti nomine omnes denotat
Lex & rapinas, & dolos, & impias
Exactiones, & malas lucri vias.
Bonis leuare vultque nostris indigos.
9. Testes iniquos exprimens vetat simul
Lex nona falsis alterum calumnijs
Ne quis palam lædátue, elámue detrahat.
Bonam tueri mandat & famam omnium.
10. Deliberatum cordis haud solùm malum,
Sed noxias taxat simul lex vltima
Cupidines, imásque radices mali.
M. Nunc redde legis integræ compendium.
P. Ex corde toto nos & anima omni Deum
Amare, toto & virum conamine.
Vt nosmetipsos proximósque. Proxima est
Et ipsa nobis tota gens moralium.
M. Ex te potésne iussa legis exequi?

P. Nunquá. M. Quis ergo seruat in te? P. Spiri
Sanctus. M. Sacro num flamine imbutus po
Complere punctis imperata singulis?
P. Nec illud. M. Atqui tramitem ad vnguẽ De
Qui non sequuntur legis omnes deuouet.
P. Verum. M. Salutem quomodo speraueris.
Diris & illis ergo legis eximi?
P. Me liberauit Christus à legis iugo.
M. Qui sic? P. Ferendo vicit is mortem: suis
Vitamque reddens victor, acceptos patri
Nos impotentes ipse perfectus facit.
M. Quis legis, vsus ergo nobis nunc manet?
P. Non posse iustos actubus nos effici
Dum monstrat, ad Christum relegat: interim
Infirmitatis conscios monet, Deum
Prece inuocare, & viribus niti omnibus
Magis magisque legis exactum in scopum.

¶DE ORATIONE. CAP. III.

M. AD quem precando vota supplex dirigis
P. Solummodo vni supplico deo, patri,
Tantúmque Christi nomine offero preces.
Ille aduocatus pro pijs interuenit.
Nobis reliquit & precandi formulam:
Quam semper orans intuor, vota omnia
Normámque ad illam formo. M. Recita quæn
(ea es

P. Pater ſupreme noſter, ô Cœlum incolens:
Sanctè colatur nominis ſplendor tui.
Veniat tui ſperata regni fauſtitas.
Diuina fiat ſicut inter cœlites
Ita & voluntas terreo tua in ſolo.
Noſtrum diurnum confer hodie, victus modũ.
Remitte nobis lenis atque debitum:
Nos debitorum vt noxijs ignoſcimus.
Tentationem néue ducas in malam:
Nos à maligno ſed nocente libera.
Regnum poteſtas namque tibi & gloria
Stat ſeculorum ſempiterna ſeculis.

M. Precatione quid petas iſta, explica.

P. A patre noſtro (nempe communi pijs)
Cœlum ſupremus qui monarcha poſsidet,
Sex opto: primùm nomen vt ſanctum dei
Suis per orbem celebretur laudibus.
Vt deinde regnum quo ſuos bonus fouet
Creſcat, fidelis copia florens gregis.
Regnum ſceleſti quo ſatanæ corruat.
Vt tertio diuina ſic terræ in ſolo
Fiat voluntas, omnes vt ei pareant,
Parent cohortes angelorum vt cœlites:
Quarta diurni voce panis, omnia
Quæ vita præſens exigit comprendimus.
Hunc & precando cœlitùs nobis dari,
Teſtamur in diem dep nos viuere.
Quinta remitti noſtra nobis debita,

Peccata nempe, gratia meta dei
Rogamus. Et nos profitemur fratribus
Vt patris alti filios, ignoscere.
In vltima, ne cum cœlestis nos Deus
Carnis, precamur, illice abripi sinat
Contagio, malísque dæmonis dolis:
Sed spiritu nos protegat sancto & regat.
Eiusque demùm laude vota claudimus.

DE SACRAMENTIS.

M. QVam victimam censes deo gratissimã?
P. Audire vocem numinis termaximi.
Parere verbo mentis affectu & pio.
M. Verbum quis offert? P. Rite qui vocatus est
Christi Minister, audiendus omnibus.
M. Vltráne verbum iuugitur nobis Deus?
P. Connexa Sacramenta sunt verbo: notæ
Dei fauoris, extero signo pijs
Quæ spiritales res adumbrant, & rata
Reddunt salutis pacta nobis fœdera.
M. Cur instituta sacra sunt hæc symbola?
P. Infirma nostra vt sublenetur hinc fides,
M. Externa per se signa tantam vimne habent?
P. Non signa, signis iuncta sed vis spiritus.
M. Quot esse Sacramenta nostra ais? P. Duo:
Baptisma, Cœnæ sacrámque Eucharistiam.

M. Baptis-

M. Baptiſma quidnam ſignat? P. Vndæ ſymbolo
Remiſsionem noxiarum innoxio
Mentes lauari nempe Chriſti ſanguine:
Nos & regigni ſpiritu ſancto, indicat,
Vt innouemus actubus vitam bonis.
M. Quis rite ſacro tingitur baptiſmate?
P. Vera paratus fide & pœnitentia.
M. Cur ergo lymphis eluuntur paruuli?
P. Non eſt neceſſe ſemper hæc actu ferat
Baptiſmus, ætas at capax id exigit.
Adultus annis inſtruendus eſt puer,
Olim vt recepti vim ſciat Baptiſmatis.
M. Quid ſacra præfert Cœna myſticum pijs?
P. Per ſpiritalem corporis Chriſti dei
Eſum, cruoris illiuſque poculum
Vitam educari nos in æternam notat.
M. Quid ſigna panis & lyei ſuggerunt?
P. Vt iſta corpus nutriendo roborant,
Sic corporis virtute Chriſti & ſanguinis
Mentes aluntur & vigorem habent ſuum.
Incluſa non ſit vis vt iſta ſymbolis.
Sed ſpiritu Chriſtum ſupernè quærimus,
Cœlo paterna conſidentem in gloria.
M. Iſtuc ad illum peruenire qui licet?
P. Fide. Piorum cordibus quam ſpiritus
Diuina virtus imprimit, verbi dei
Promiſsionum nó ſque certos efficit.

M. Qui myſticæ rite Cœnæ communicant?
P. Seſe probantes (diuus vt paulus monet)
Fide atque amore pœnitentia & pia.
M. Perfecta prorſus hicne quæritur fides?
P. Vix inuenitur illa. Sed Cœnæ ſacer
Cibus medelæ ſeruit infirmis loco.
M. Conferre Sacramenta qui debent? P. Dei
Verbi Miniſtri. Qui prophanos à ſacris
Arcere, cauſis rite cognitis, valent.

¶FINIS.